



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii  
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

**Geismar, Justus Moritz von  
Coloniæ Agrippinæ, 1691**

Ad tit. 5. de postulatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

Script. quòd subreptionis suspicio tollatur, si rescriptum habet clausulam adjunctam *ex certa scientia*, vel etiam: *ex plenitudine potestatis*, sive *pro expressis habentes & suppletis omnes defectus* item si appolita sit clausula: *si altere jus non sit quæsitum*, quia videtur concessum sub conditione Cap. quamvis eod. in 6. quod etiam non operatur clausula *motus proprii*, vel *non obstante*. Vid. Rebuff. loco citat.

## AD TITULUM IV.

*De Consuetudine.*

**P**lanè ad finem tituli addo: Huc etiam referri potest stylus, qui consideratur dupliciter, vel ut est facti, vel ut est juris, si ut est facti consideretur, accipitur pro modo & formula procedendi in judicio, si verò accipiatur prout est juris, tunc sumitur pro jure ex modo procedendi nato, si jus non sit contrarium, differt tamen stylus à consuetudine, quòd consuetudo versetur circa ipsam causæ decisionem, stylus non. Item ritus, si ut est facti, sumatur pro observantia circa solennitatem actus, si prout est juris accipiatur, pro jure inde nato sumitur.

## AD TIT. V.

*De Postulatione.*

**A**d Num. 6. ad finem addo: Obstat dictis numerus 43. tituli sequentis, in quo dicitur, quòd quidem conveniens sit ut el'gatur de gremio, non sit tamen necessarium. Respondeo quòd non obstat, quia num. 43. supponit tamen esse profellum.

*Ad Num. 8. in fin. addo:* Sic casus ponit Glos. h. t. in 6. in verbo *probabiliter*. primò si in beneficiis cum cura dubitetur, an assumendus attigerit Annum 25. an non, secundò an eligendus in Episcopum compleverit 30. Annum. C. cum in cunctis 7. de elect. tertio, an assumendus in Prælatum expressè sit profellus. Cap. nullus 28. de elect. in 6. modò istud dubium consistat in facto & non in jure, ut in his casibus similis postulatio incerta admittatur.

## AD TIT. VI.

*De Electione.*

**A**d Num. 1. in fin. addo: Electio sumitur dupliciter, generaliter, & specialiter, si generaliter sumatur, comprehendit & postulationem & nominationem, præsentationem & collationem, quia in his omnibus persona idonea eligi debet. Si verò specialiter sumatur: tum est suprâ definita, C. 32. & 44. h. tit.

*Ad Num. 48. addo ad finem:* Ratio resolutionis, quia impedire per metum, per vim & mendacium, est modus impediendi justitiæ contrarius, ergò non nisi per restitutionem refarciri potest. de Arauxo de Stat. Civil. disput. 13. n. 3. Sed Quæstio: an teneatur ad restitutionem, qui impedit per modum charitati contrarium, ex odio aut livore vindictæ, sive alio injurioso opere. Respondet num. 9. negativè, ratio, quia non contrariatur justitiæ, sed soli charitati, & sic primum lædit justitiam commutativam, alterum distributivam.

*Ad Num. 85. Consecratio Episcopi*